



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 13. Varia de ijsdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

dere, laboriosè transeat. S. Paschasius l. 5. in Matth.

*Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob.* Luc. 20. 37. Quare potius istos, quam alios nominavit; cum sit Deus omnium? Quia in his tribus commendantur, & significantur, tres virtutes Theologicae, id est, Fides, Spes, Charitas; per quas venit ad Resurrectionem. Per Abraham Fides, per Isaac Spes, per Jacob Charitas. Hugo Card. hic.

### Alia figura, & Symbola.

#### Ex Veteri.

*Creavit Deus caelum &c.* Gen. 1. 1. Christianus est caelum; in quo Luna est Fides, Hesperus Spes, Sol Charitas; astra reliqua ceterae virtutes. Cornelius hic.

*Ibimus viam trium dierum.* Ex. 3. 18. Via trium dierum, est via Fidei, Spei, & Charitatis. Cornelius hic. Fides demonstrat iter ad terram promissionis, uti columna nubis, & ignis: Spes autem manna suavitatis nos sustentat: at verò Charitas in eam nos introducit, ut arca foederis. S. Franc. Salef. de div. am. l. 1. c. 6.

Est nostrum pro peccato sacrificium fides. Levit. 3. 1. &c. *hostia pacificorum* spes: *holocaustum* verò Charitas. S. Rupertus hic l. 1. c. 27.

*Tres civitates.* Deut. 19. 2. Glossa hic dicit Fidem, Spem, & Charitatem: ad quas omnes poenitentes debent confugere.

*Surge per Fidem; prospera per Spem; veni per Charitatem.* Cant. 2. 10. Idem S. Rupertus hic.

Sancta Ecclesia, id est, Spiritale aedificium; ut ad secreta gaudia pertingat; tres solummodo portas Ezech. 40. 6. &c. habet; videlicet Fidem, Spem, atque Charitatem. Unam ad orientem, aliam ad aquilonem, tertiam ad meridiem. Porta quippe in oriente est Fides: quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem Spes: quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, funditus perit. Unde necesse est, ut, qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem misericordiae reviviscat. Porta ad meridiem Charitas: quia igne amoris ardet. S. Gregorius hic. hom. 19. post medium.

#### Ex Novo.

*Faciamus hic tria tabernacula.* Matth. 17. 4. Fidei unum, Spei unum, Amori unum. S. Bernardus l. de amore Dei c. 2.

*Non permisit secum intrare quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem.* Luc. 8. 51. Petrus, qui interpretatur *agnoscens*, designat fidem: Jacobus qui *luctator* interpretatur, Spem: Joannes Charitatem. Et haec tres virtutes sunt Domino familiarissimae; & concurrunt ad suscitationem peccatoris à morte; quae designatur in suscitatione puellae. S. Bonaventura hic. Virtutes vivificae, animam mortuam reviviscere faciunt. *Polyanth. Sacra Tom. II.*

cientes, tres solummodo sunt; quas Theologicas appellamus. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

*Commoda mihi tres panes.* Luc. 11. 5. Isti tres panes intelligi possunt actus Fidei, Spei, & Charitatis; quibus Deus praecipue colitur. Dion. Carthus. hic. Hoc est, infunde cordibus nostris Fidem, Spem, & Charitatem. S. Eligius hom. 14.

*Petite, & dabitur vobis: quae sitis, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. 9. Petimus Fide, per eam ad Christum euntes: quærimus spe; quæ attingimus usque ad interiora: pulsamus Charitate; dura laboribus desudamus: ut, quod petimus, & quærimus, consequamur. S. Bonaventura hic.

*Quis ex vobis &c.* Luc. 11. 11. Panis intelligitur Charitas, sine qua cetera nihil sunt; sicut sine pane mensa inops videtur: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit. *Pisces* sunt Fides invisibilium: cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciae. In ovo indicatur spes: huic contrarium, posuit scorpionem; cujus aculeus venenatus retro timendus est: quia mortifera desperatio in fine est formidanda. Ven. Beda l. 1. in Matth. 7.

#### Ex Patribus, & alijs.

Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, Fides est: profectus verò, & augmenta aedificij, Spes est: perfectio autem, & culmen, totius operis, Charitas. Origenes l. 2. in Rom. 2.

In illa crucis parte, quae terrae desigitur, Fides, quae religionis fundamentum est, figuratur: huic scilicet fundamento tora fabrica bonae operationis innititur. Per supremum verò corum, quod ceteris eminet, Spes intelligitur: quae noster animus ad capessenda caelestia provocatur. Illò verò lignò, quod in medio positum binis utrinque porrigitur brachijs, latitudo designatur geminae Charitatis. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 22.

Quare in Missa ponuntur panis, vinum, & aqua? quia in his res ipsa, & virtus, Sacramenti intelligitur. In aqua intelligitur Fides, quae latet, & nutritur in aquis. In vino, quod latificat, & accendit, intelligitur Spes. In pane, qui confirmat, & reficit, intelligitur Charitas. S. Thom. Aqu. opusc. 8. de exposit. Missae.

#### §. XIII.

### De Theologicis Virtutibus varia.

*Qui timetis Dominum, credite illi; & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum; & illuminabuntur corda vestra.* Eccli. 2. 8. 9. 10. Tribus sententijs munit timentes Deum, virtutibus Theologicis. Olympiodorus hic.

T t t

Apertis

*Aperis thesauris suis.* Matth. 2. 11. Cum omnia, juxta vota, vidissent; imò per amplius, quam crederent, & sperarent; quoniam bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum; majora eis tribuit, quam acceperit; & potiora, quam posset provehi spes humana; Pro auro Fidem; pro thure Spem; pro myrrha conservantem ab immunditijs, & à corruptione, Charitatem. Sim. Cass. l. 1. c. 15.

*Docete omnes gentes.* Matth. 28. 19. Docuerunt homines, in carne angelicè vivere: docuerunt, quid credendum, quid sperandum, quid amandum. Idem l. 14.

Ex merito Fidei videt anima Deum, id est, Filium Dei, & sapientiam Patris: ex merito spei possidet potentiam Dei, id est, æternum Patrem: ex merito charitatis fruitur Deo, id est, suavitate Spiritus S. S. Bernardinus l. de prosperitate.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt: id est, in Spe, in Fide, & Charitate. S. Zeno Veron. de Fide &c.

## §. XIV.

## Virtutes Cardinales.

## Figuræ, Symbola.

## Ex Veteri, &amp; Novo; Patribus, &amp; alijs.

*Fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Eccl. Gen. 2. 10. Est paradysus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

*Psallite Domino in cithara &c.* Ps. 97. 5. Videntur facis commodè applicari quatuor virtutibus Cardinalibus: cithara Prudentiæ, psalterium Justitiæ, tuba ductilis Fortitudini, tuba canora Temperantiæ. Cithara variarum chordarum sonos miscens unum dulcem concentum efficit. Sic Prudentia varias circumstantias operis boni conjungens, perfectum opus reddit. Psalterium decem chordis instructum Decalogum nobis representat, id est, omnia præcepta Justitiæ. Tuba ductilis malleorum ictibus extenditur, & formatur, ut sonum suavissimum edat: Sic Fortitudo tribulationes patienter ferendo, ita extendit, & perficit hominem Dei; ut suavem illum sonum edat cum Job. *Si bona suscepimus &c.* c. 2. 10. Denique Temperantiæ, tanquam durum cornu, carnem excedens, & superans; id est, corpus castigans jejunijs, atque vigilijs, tubam spiritualem efficit: qualis erat Præcursor Domini; qui melle Sylvestri, & locustis, contentus, & pilis camelorum indutus, dicebat: *ego vox.* Matth. 3. 4. Bellarminus.

*Tria sunt difficilia &c.* Prov. 30. 18. Per quadruplicem hanc viam accipe quadruplicem virtutum &c. quæ trahimur ad felicitatem æternam. Scilicet per *viam aquile in celo* significatur Prudentia: utpote quæ mirâ pollet oculorum ad videndum, & præviden-

dum, acie. Per *viam navis in mari*, Fortitudo: quæ contra fluctus, & procellas, tentationum Mundi hujus fortiter incedimus. Per *viam viri in adolescentia*, Temperantiæ: quæ adolescentiæ æstus, & cupiditates, moderatur. Per *viam colubri in petra*, Justitiæ: quæ cuique suum tribuit: sicut coluber, repens per petram, nihil illi admittit. Cornelius hic.

*Tria sunt, quæ benè gradiuntur &c.* Prov. 30. 29. Quisque in animæ suæ republica, & regno, incedat fortiter ut leo; sapienter, ut gallus; temperanter ut aries; justè, ut rex. Idem hic.

*In medio ejus similitudo quatuor animalium.* Ezech. 1. 5. Quatuor hæ virtutes adumbratæ sunt in quatuor Cherubinis, stipantibus currum providentiæ, & gloriæ Dei; qui faciem, & speciem, habent quatuor animalium; scilicet leonis, bovis, aquilæ, & hominis; quibus totidem hæc animalia Salomonis ex aquo respondent: leoni leo, bovi aries, aquilæ gallus, homini rex. Idem hic.

*Tulerunt illum in Jerusalem &c.* Luc. 2. 22. In obligatione Domini quatuor personæ offerunt: Maria, Joseph, Simeon, & Anna: quia anima, quæ verum sacrificium offerre vult Deo, debet habere comitatum quatuor virtutum Cardinalium. Per Simeonem, qui interpretatur *audiens*, intelligitur Prudentia. *Audiens sapiens sapientior erit.* Prov. 1. 5. Per Annam, quæ interpretatur *gratia*, intelligitur Temperantiæ: *optimum est, gratiâ stabilire cor, non esets.* Hebr. 13. 9. Per Joseph virum justum, qui interpretatur *augmentum*, intelligitur Justitiæ: *multiplicabit semen vestrum, & augetis incrementa frugum justitiæ vestræ.* 2. Cor. 9. 10. Per Mariam, quæ interpretatur *dominatrix*, intelligitur Fortitudo: *melior est patiens virò forti.* Prov. 16. 32. S. Bonaventura hic.

*Animal primum simile leoni &c.* Apoc. 4. 7. In his quatuor animalibus notantur quatuor virtutes Cardinales: in facie hominis Temperantiæ, leonis Justitiæ, vituli Fortitudo, id est, patientiæ; aquilæ Prudentiæ. S. Bernardinus apud Sylveira hic.

Claritas respondet Prudentiæ, subtilitas Temperantiæ, agilitas Fortitudini, impassibilitas Justitiæ: quia Justitiæ perpetua est, & immortalis. S. Bonaventura f. 2. in hexam.

Temperantiæ respondet terræ; quæ aridam reddit, & tamen ornat, & vestit floribus: Prudentia respondet aquæ perspicuitati. Justitiæ aeri: aer enim ascendit, & descendit, ad dextram, & ad sinistram, movetur. Fortitudo respondet vigori ignis. Idem ibidem f. 6.

Virtutes configurantur quatuor Causarum efficacijs. Fortitudo debetur Efficienti, Prudentia Formæ, Justitiæ Fini, quæ regulat; Temperantiæ Materiæ, nè defluat. Idem de Virt. Cardin. Sermon. 6.

Sicut